



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. IV. An gratia habitualis includat habitus, seu virtutes infusas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

addit, Adamum non sibi soli, sed etiam nobis iustitiam perdidisse, non amittit autem nobis iustitiam tantum imputatiam, ut per se patet: negetiam illam, quæ esse potest per solos actus, quia non solum adultis, sed etiam paruulis illam perdidit: nam ideo paruuli in peccato concipiuntur, quia carent gratiâ, quam concepti in statu innocentie habere potuissent; ergo necesse est illam gratiam esse permanentem, & ab actibus distinctam; imò eiusdem rationis cū gratiâ, quæ in baptismo datur, cum per hanc formaliter excludatur originale peccatum, quod est privatio illius sanctitatis, & iustitiæ, quam in Adamo recepimus, ad quam nobis recuperandam Christus in hunc mundum venit, ut idem Concilium docet sess. 6. capit. 2. Igitur iuxta doctrinam, & definitionem Concilij hæc gratia permanens non solum data est hominibus post lapsum, sed etiam antelapsum. Et in hoc sensu dixit Cyrillus, lib. 2. in Isai. circa principium. *A principio dabatur nobis generis primitiis, id est, Adamo Spiritus sanctus, verum demersus est in peccato, nec inuenit in hominibus requiem Spiritus, omnes enim declinaverunt, &c.* Post factus est homo vngena Dei sermo, Spiritusq; sanctus in hominis natura insedit, velut in ipso primo. & quasi in primitiis generis posterioribus, ut & in nobis deinceps consequeretur, ac maneret atque in credentium mentibus cum voluptate habitaret. Quæ omnia verba permanentem gratiam aperte indicant, & alia de gratia primi hominis adduximus in proleg. 4. Et hinc facile fieri posset ascensus ad Angelos, nam licet de illis non habeamus tam claras definitiones, nihilominus sine vlla dubitatione credendum est, etiam eis communicatum esse donum gratiæ permanentis. Non est quidem ita certum, an in principio cum hoc dono creati fuerint, & de malis angelis nonnulla quæstio inter Theologos est, an in via hoc donum consequuti fuerint. Nihilominus tamen quod sancti angeli hoc donum habuerint in via inchoatum, & nunc habeant in patria consummatum, omnino certum est, nam Patres eodem modo loquuntur de sanctitate Angelorum, quo de hominibus, ut ex 1. p. q. 62. suppono, nuncque solum expendo verba Ambrosij lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. ubi de Spiritu sancto dicit de substantia inuisibilium creaturarum non est, nam & illæ sanctificationem huius accipiunt. & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt siue Angelos dicat siue Dominationes siue Potestates omnis creaturæ expectat sancti Spiritus gratiam. Et postea Angelos cum hominibus confert, & de omnibus ait, utiq; sancti Spiritus gratia filios Dei fecit.

CAPVT IV.

An gratia habitualis includat habitus, seu virtutes infusas?

HActenus solum ostendimus, gratiam esse formam permanentem in homine, quando non operatur, ac proinde distinctam ab omnibus actibus gratiæ. Ex quo satis probatum videtur, illam esse habitum, abstinuimus tamen ab hac voce, quia per habitum solet intelligi principium actus, de quo nondum disputatum erat, quamvis si vox illa latius sumatur pro quacunque qualitate perficiente animam, quæ non fit actus secundus, eadem certitudine, quæ ostendimus, dari gratiam permanentem, concluditur esse qualitatem habitalem, non tam per novam illationem, quam per solam terminorum explicationem, ut magis ex sequentibus capitulis constabit. De hac ergo gratia habituali superest explicandū in specie, quid sit, quod nullo modo prestare possumus, nisi hanc gratiam in plura membra diuidendo. Nam gratia habitualis, quæ a nobis hætenus explicata est, est veluti quoddam genus, cuius præcisa ratio, & essentia ex dictis hætenus facile intelligi potest. Est enim qualitas quædam spiritalis, & supernaturalis in substantia sua, quæ non est operatio, neque actus

secundus, sed forma quædam permanens, & per modum actus primi a Deo infusa, ut per eam diuine nature, & perfectionis singulari modo, & ordinem nature superante, participes efficiamur. Neq; amplius possumus in hac generalitate hanc gratiam explicare, nisi ad eius species descendamus.

Potest ergo primò hæc gratia diuidi in eam, quæ est proximum principium operandi, & quæ vel nullo modo est principium, vel saltem remotum. Hæc posterior in vfu Theologorum retinuit nomen gratiæ simpliciter, vel gratiæ sanctificantis, vel etiâ gratiæ habitualis, & quamvis hæc gratia reuera sit principalior cæteris, & quali principium, & radix aliorum habituum, nihilominus, quia eius cognitio minus certa est, illam in vitium locum referuamus, ut à clarioribus procedamus. Alia igitur gratia, quæ est principium proximum operationis, retinuit nomen habitus per se infusi. Dicitur autem, per se, ad excludendum habitus naturales, qui cum possint ordinario modo per actus eiusdem ordinis acquiri, interdum à Deo infunduntur, & ideo dicuntur per accidens infusi, non tamen pertinent ad ordinem gratiæ, neq; cum gratia ordinariè infunduntur, ut postea dicemus. Quamuis autem habitus, & virtus absolute dicti comparentur tanquam genus, & species, quia dantur habitus, qui non sunt virtutes, sed virtus, vel alio modo imperfecti, nihilominus in ordine gratiæ habitus infusus non est genus respectu virtutis infusæ, sed conuertuntur, loquendo generatim de virtute, prout dicitur potest etiam de donis Spiritus sancti, ut postea dicemus.

Ratio clara est, quia habitus per se infusus, est effectus ita Dei proprius, ut à nulla alia causa, nisi a Deo fieri possit, ut infra dicemus; Deus autem non potest infundere, nisi habitum bonum, & honestum, id est, cuius bonitas, & sapientia requirunt. Item quia isti habitus sunt singulares participationes diuinarum perfectionum, & virtutum; ergo ex suo genere sunt determinatæ ad honestum, quo ad specificationem; imò non ad quodcunque honestum, sed diuini ordinis. Sic enim rectè intelligitur, quod ait Ioannes, canon. cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam in se mens iustus in eo manet. & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est, utiq; quatenus natus est, ut exponit Augustinus, quia videt, per illud esse, & per illas facultates, quas ex tali naturæ recipit, peccare non potest.* Sunt ergo isti habitus ex suo genere essentialiter determinati ad bonum, & ideo essentialiter boni, & honesti sunt, & in hoc sensu dicimus, esse virtutes, ac proinde habitum operatum, & virtutem per se infusam idem esse.

Tandem idem probari potest ex actibus talium habituum. Solum enim dantur hi habitus per se infusi ad efficiendos actus supernaturales quoad substantiam, vel, ut generalius in omni opinione loquamur, ad efficiendos actus supernaturales, sicut oportet ad iustitiam, & salutem. Actus autem supernaturales quoad substantiam non potest esse, nisi studiosus, seu bonus in sua specie. Neq; etiam potest actus esse, sicut oportet ad salutem, nisi sit rectus, & bonus: ergo isti habitus natura sua determinantur ad actum bonum, & sic dicimus conuerti cum virtute infusa. Idem ergo est generatim querere, an infusatur gratia habitualis operatiua, ac querere, an dantur habitus infusi, vel virtutes infusæ, quod tractauit D. Th. 1. 2. q. 51. art. 4. & q. 63. art. 2. Nobis autem ad comprehendendam totam habitalem gratiam, visa est hæc quæstio hoc loco necessaria. Quia verò sub hoc genere habitus, vel virtutis infusæ, plures dantur species, quæ in hoc genere conueniunt, prius in hoc capite breuiter, quæ communia sunt, complectemur, & postea singulas species percurreremus.

Quæstio ergo hæc de habitibus infusis antiqua est, & præcipue videtur fuisse controuersa de his habitibus, quæ sunt proxima principia operationum, & idem

Facile exten-
ditur de gra-
tia hæc ad
Angelos

1.
Ex dictis co-
stat gratiam
esse habitum.

Descriptio
gratiæ.

2.
Prima gra-
tia dicitur

3.
Habitus in-
fusus im-
pugnatur

4.
A posteriori

5.
Virtutes quæ
sunt de habitibus
infusis

Cap. IV. An gratia habitualis includat habitus seu virtutes infusas? 13

eo sub nomine habituum, & virtutum referuntur in capitul. *Maiores*, de Baptismo, & in Clement. vnic. de Summa Trinitate. Et quamvis moderni dicant, inter antiquos Theologos fuisse de hoc diversas opiniones, ego tamen non reperio aliquem Theologum catholicum, qui absolute negaverit hos habitus, neque etiam de aliquo relictum invenio. Nam, ut supra notavi, Theologi, qui in genere referuntur, non negabant absolute hos habitus, sed tantum negabant infundi parvulis, fundabanturque in incapacitate parvulorum ad operandum. Magister autem, qui negavit habitum charitatis, non negavit omnes habitus infusos, & ideo illa etiam opinio ad praesens non pertinet. Nihilominus potest hac opinio generatim suaderi, quia vel isti habitus dantur, vel homo facilius eliciat tales actus, vel simpliciter, ut eos possit efficere. Primum dici non potest, quia habitus, qui solum dant facilitatem operandi per actus acquiri possunt, & consequenter tales habitus non sunt per se infusi. Item habitus, qui solum dant facilitatem, supponit in potentia facultatem integram operandi, ostensum est autem in superiori libro nostras potentias non habere naturalem vim sufficientem ad actus supernaturales, quales sunt illi, propter quos habitus infusi dari possunt. Ergo tales habitus non possunt propter solam operandi facilitatem infundi.

Quod vero nec propter potestatem dari possint, probatur primo, quia hoc est contra, vel supra rationem habitus: nam habitus perficit potentiam, & augeat vim operandi, & sic etiam dat operandi facilitatem, & suavitatem, & ideo habitus essentialiter supponit potentiam, ergo non dat illam. Quod si quis hac ratione fateatur, hos habitus solum appellari habitus, ut distinguantur ab actibus, & ut distinguantur a potentis, quae naturaliter fluunt ab anima, retamen vera esse potentias quasdam. Contra hoc instatur, quia sequitur, non inesse potentis animae, sed immediate subit animae illius, ut per illas operetur, quia potentia non inest potentiae, sed substantia ipsi. Unde argumentor secundo: nam vel isti habitus dant totam virtutem proximam operandi, ita ut unusquisque habitus infusus sit tota ratio proxima eliciendi suum actum, vel tantum complent virtutem agendi ipsarum potentiarum, neutrum autem videtur dici posse, ergo. Prior pars minoris patet, tum argumento facto, quod talis habitus esset integra potentia, & ideo non esset constituendus in alia potentia, sed in ipsa substantia, tum maxime, quia inde haberet intellectum, & voluntatem non influere vitaliter in actus horum habituum, quia per se nihil agerent, sed solum per habitum in se receptum, ac proinde quasi per accidens, vel denominatione tantum, sicut aqua calefacit per immixtum sibi calorem, quod est contra rationem actuum vitalium. Altera vero pars minoris patet, quia si isti habitus solum complerent facilitatem potentiarum, supponerent in ipsis potentis aliquam vim actionem naturalem, ex qua, & ex habitus, tanquam ex principis partialibus, coalesceret unus integrum principium talis actus, quod non videtur dici posse, quia alias actus non esset pure supernaturalis, sed esset vel mixtus ex naturali, & supernaturali, quod repugnat simplici entitati, vel esset tantum naturalis in sua entitate contra supra dicta. Sequela patet, quia effectus est proportionatus suo principio proximo: quod si principium sit compositum, & effectus simplex, sequi debet ignobiliorem partem, quia malum, vel imperfectum ex quocumque defectu. Quod si dicatur, potentiam elevari ad agendum cum proportionem ad habitum infusum, contra hoc argumentor tertio, quia sequitur potentiam esse instrumentum, & non propriam virtutem agendi in ratione principii proximi. Quod si hoc ita est, superfluous est habitus, quia instrumentum non solet elevari per formam, vel habitum inhaerentem, sed per unum-

par 3.

diarum motionem principalis agentis. Sic ergo nostra potentia per auxilium Spiritus Sancti immediate elevaruntur ad hos actus efficiendos, ut in superiori libro dictum est, & ideo superflui videntur infusi habitus operativi. Et confirmatur tandem, quia alias experimento possent hi habitus cognosci, darent enim inclinationem ad suos actus, & per eam, facilitatem etiam, & delectabilitatem in operando conferrent, qui effectus non posset latere operantem: ergo per illum posset unusquisque experiri in se habitus gratiae, quod dici non potest.

Nihilominus vera, & Catholica sententia est dari fidelibus interna quaedam principia supernaturalia actuum Christianae iustitiae, & consequenter distincta ab ipsis, & permanentia sine ipsis, quae principia vocamus habitus infusos operativos. Haec conclusio etiam sub nomine habituum, & virtutum approbata est in Concilio Vientiensi, Clem. vnic. de Sum. Trinit. ubi, quoad parvulos solum, ut probabilior approbatur, quoad adultos vero non explicatur, in quo gradu approbetur, sed supponitur, tanquam sine dissensione, recepta inter Theologos, ut in superioribus notavi, imo Scotus, & alii censuerunt, illam semper fuisse de fide. Sed in hoc quantum spectat ad gradum certitudinis, idem hic censo, quod in precedenti capite dixi, & in sequenti confirmabo. Et ibi etiam auctoritate conclusionem probabimus: nam testimonia, quae efficaciter possunt hanc veritatem, ut certam ostendere, non in generali loquuntur, sed in specialibus de Fide, Spe, & Charitate. Nunc solum ponderamus verba illa Tridentini sess. 6. cap. 7. *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per infusionem gratiae, & donorum.* In quibus pondero haec dona esse habitualia: nam infusio eorum supponit actus sufficienter disponentes, nam ad illam dispositionem consequitur. Et cum Concilium in plurali loquatur, satis indicat, gratiam habituales infusam non esse unam tantum qualitatem, sed plures, non multiplicatur autem in nobis ex vi iustitiae infusae qualitates, seu dona gratiae permanentis, nisi ratione habituum infusorum, ut est per se clarum. Dixi autem, *Ex vi iustitiae*, ut excludam quaestionem de caractere, nam ille est qualitas infusa, & non est habitus operativus, & multiplicatur in nobis, & potest inter dona iustitiae computari, per se tamen ad iustitiam infusam non spectat, quia sine illo potest esse homo perfecte iustus, ut constat de iis, qui ante sacramenta novae legis iustificati sunt, & nunc ante realem illorum susceptionem iustificantur.

Ratio assertionis difficulter redditur a Theologis, qui negant actus virtutum esse supernaturales quoad substantiam, quia propter solum modum non est necessarius habitus infusus, & ita Scotus, Durandus, Gabriel, & alii multum laborant in fundamento inquirendo horum habituum per se infusorum, & tandem nullam verisimilem rationem adducunt, sed propter solam auctoritatem Scripturae, & Ecclesiae eos admittere fatentur. At vero supposito contrario principio de supernaturali substantia, & specie actuum aliquarum virtutum, facile redditur ratio valde contentanea naturali lumini, propter quam isti habitus necessarii sunt, nimirum, quia potentiae ad suos actus eliciendos debent disponi per habitus illis actibus proportionatos, sed habitus acquisitioni non sunt proportionati, ut per se constat, ergo necessarii sunt habitus infusi, qui supernaturales sint, & cum dictis actibus proportionem servient. Maior probatur, quia ad suam Dei providentiam pertinet, dare unicuique agentis, & causae secundae principium intrinsecum suae operationi proportionatum, homo autem in gratia constitutus, & elevatus ad superiorem ordinem agentium, non debuit minus perfecte disponi intrinsece ad actus illius ordinis eliciendos, quam cetera agentia: ergo perficitur habitibus infusis ad superiores actus

B

actus

actus connaturaliter eliciendos. Et hac ratione virtutis D. Thomas ubique de his habitibus quaestiones movet, vt 1.2.q.51.art.4. & q.62.art.1. & 2.2.q.23.art.2. Et ob eandem ponitur in beatis lumen gloriæ, quod sit principium visionis, addens intellectui virtutem intelligendi, vt in 1.p. diximus cum D. Thom. q.12.art.5. Et inde etiam seruatur optima proportio inter finem supernaturalem, & media, nam sicut supernaturalis beatitudo consistit in excellentissima operatione diuini ordinis, ita homo ad illum finem tendit per actus supernaturales eiusdem ordinis, & sicut in patria ad illum actum beatificum eliciendum datur habitus, seu principium proximum supernaturale, & supremum in illo ordine, ita in via infunduntur habitus supernaturales actionibus in via exercendis proportionati.

9.
Dubium de
necessitate
horum ha-
bituum.
Opinio.

Vt autem hæc ratio melius intelligatur, quaeri potest, quanta sit necessitas horum habituum. Quidam enim existimant adeo esse necessarios hos habitus, vt sine illis huiusmodi actus fieri non possint, etiam de potentia absoluta. Quod profecto sentire debuissent Caicetan. Ferrar. & Soto, si de supernaturalitate actuum via conuenienter sentirent. Nam de visione beata ita docuerunt, vt tractauimus in 1. p. tract. 1. libr. 2. capitu. 16. est autem eadem ratio de actibus via, si in substantia supernaturales sunt. Neque refert, quod visio sit perfectior: nam maior, vel minor perfectio specifica actuum inferet quidem necessitatem habitus magis, vel minus perfecti, nihilominus tamen cum omnes illi actus sint eiusdem ordinis, & excedant vires naturales potentiarum animæ, eadem est necessitas habitus, seu virtutis proportionata, ad illos omnes efficiendos, si ergo in visione beatifica est necessitas luminis, vt ad potentiam etiam absolutam extendatur, eadem erit in omni actu supernaturali respectu sui habitus. Ratio autem illius sententiae fuisse videtur, quia sicut videri non potest sine potentia visiva, neque intelligi sine intellectu, ita nec potest videri sine lumine, nec amari supernaturaliter sine charitate, &c. quia tam intrinseca est dependentia horum actuum à suis proportionatis principis, quæ est naturalium actuum vitalium à suis potentiis.

10.
Assertio ve-
ra:
Habitus su-
pernatu-
rales non sunt
necessarii de
potentia ab-
soluta.

Nihilominus de visione beata contrarium docui in citato loco cum Paludano, Argentina, Maiore, & aliis. Est autem multo maior ratio de actibus via, id est, verisimum censeo hos habitus non fuisse necessarios de potentia absoluta, sed solum secundum congruentem Dei providentiam, vt connaturaliter fiat. Quod tenuit etiam Medina. 1.2. quaest. 62. artic. 1. dub. secundo, & est hoc tempore inter Theologos moderatos receptissimum. Ratio autem est eadem, quam supra dicto loco tradidi; quia isti habitus solum concurrunt ad hos actus vt principia proxima connaturalia, & in suo ordine principalia talium actuum; potest autem Deus alio modo facile supplere hanc efficientiam. Nam generalis regula est posse Deum efficere se solo, quidquid facit per causam secundam, vbi non interuenit aliud genus causæ magis intrinsecum, quod per extrinsecam causam suppleri non possit, hic autem nihil tale inuenitur, vt patebit facile consideranti differentiam in comparatione, quæ fiebat inter vitales actus naturales, & supernaturales: nam in naturali visione corporea, vel spirituali, si visum, vel intellectum auferas, nullum manet intrinsecum principium vitale talis actus, & ideo nec potest fieri visio illa, vt actus vitalis est: at vero in actu fidei, vel amoris supernaturalis, etiam si habitus infusus auferas, manent potentia intellectus, & voluntatis, à quibus sufficienter habent illi actus, vt vitaliter fiant, quamuis, vt fiant, necessarium sit speciale auxilium. Item in visione, vel amore naturali, ablata facultate, aufertur potentia, quæ possit informari per tales actus, & ideo fieri non potest hic effectus, qui est videre, vel ama-

re, at vero in actu fidei, vel amoris supernaturalis, licet è medio tollantur habitus, manet potentia, quæ sufficienter potest informari per actum fidei, vel amoris, & ideo nihil repugnat, has potentias credere, & amare supernaturaliter sine his habitibus. Ad rationem ergo theologicam satis est, quod hi actus non possint connaturaliter sine his habitibus fieri, vt declaratum est, postulat enim suauis, & debitus prouidentia modus, vt creaturas, quas Deus ordinat ad agendum, intrinsece perficiat, quantum commode fieri potest, per principia actionibus suis proportionata, qualia in præfenti sunt habitus infusi, qui ad perficiendas intrinsece animæ potentias necessarii sunt. Atque hæc Theologica ratio ex solutionibus argumentorum magis confirmabitur.

Ad principalem ergo rationem in principio positam respondemus hos habitus non solum poni, vt ad operandum facilitatem operandi, sed etiam vt dent, vel cōferant potentiam, vt recte ibi probatum est, & communiter Theologi docent. Ad primam autem impugnationem respondemus, licet hoc sit cōtra, vel supra rationem habitus acquisiti, vel per accidens infusi, qui eiusdem rationis est, non tamen esse contra, vel supra rationem habitus infusi, & consequenter, nec etiam esse contra rationem habitus abstractæ, & in cōmuni, sed solum dici poterit extra rationem eius eo modo, quod differentia dicitur esse extra rationem generis. Itaque differentia habitus in cōmuni, & abstractendo ab habitu per se infuso, & acquisito, solum est vt sit qualitas de se permanens, bene disponens potentiam in ordine ad operationem, quod autem disponat, dando solum facilitatem, vel complendo etiam potestatem, neque conuenit habitui, vt sic, neque illi repugnat, sed illa sunt duæ differentia habituum specie, & quasi genere distinctorum. Nam quidam sunt habitus natura sua vsui Ratio habet comparabiles, qui necessario supponere debent in potestate ad operandum virtutem ad producendum actus, huiusmodi autem quibus tales habitus cōparantur, & ideo tales habitus quædam dicuntur dare facilitatem agendi, & non potestatem, sed non quia non dent virtutem agendi eisdem actus, sed magis quia supponunt sufficientem, & aliquam, vt facilius, & suauior reddatur operatio. Alii vero sunt habitus, qui natura sua per actus cōparari non possunt, quia ipsorum actus naturales vires potentiarum excedunt, & hi habitus dare possunt potentiis vires ad agendum, & ideo dicuntur dare posse, & non tantum facile operari. Et ratio à priori est, quia priores habitus perficiunt potestatem in ordine ad obiecta naturæ proportionata, posteriores vero in ordine ad obiecta naturæ superantia. Vnde non refert, quod philosophi hanc conditionem, & distinctionem habituum non cognouerint, quia per lumen diuinum nobis manifestata sunt quæ sola naturalis ratio assequi non posset.

Ita ergo in his qualitatibus vera, & propria ratio habitus reperitur, & ideo in illis etiam verum est, si habitus dicuntur essentialiter supponere potentiam, quia non dicuntur habitudinem immediate ad substantiam animæ, sed ad potentias eius, vnusquisque ad eam, ad quam actus eius pertinent, quia illi dat virtutem ad operandum. Et ob hanc causam huiusmodi habitus infusi non proprie dici possunt potentia, saltem iuxta distinctionem specierum qualitatum: nam Aristoteles distinguit habitus, & potentias in duas species, & fieri non potest, vt eadem qualitas in illis duabus speciebus essentialiter constituatur. Accedit, quod Aristoteles ponens secundam speciem expresse dixit, esse potentiam naturalem, sentiens omnem virtutem agendi, quæ superadditur potentia naturali, non ad illam, sed ad priorem speciem pertinere, & ita ex principiis eius excluduntur habitus infusi ab illa specie, etiam si illos non cognouerit. Quod si quis de nomine magis, quam de re contendens dicat hos habitus, quatenus dant potestatem agendi, yocandos esse potentias, respondemus ad argumentum, saltem non esse potentias integras, seu cōpletas, imo

imo nec dare primam inchoationem (vt sic dicam) & radicalem potestatem, sed dare quasi complementum potestatis, & ideo hoc nihil obstat, quominus naturalibus potentiis infusit, & ad illas essentiali habitudinem dicant.

In secundo, & tertio argumento nonnulla dubia peruntur, quæ in dicto tractatu de Visione beatifica disputati, habent autem eandem difficultatem in omnibus habitibus supernaturalibus. Et ideo non videntur hoc loco omittenda, præsertim cum ibi dicta noua declaratione, & defensione indigeant, ea vero in sequentibus capitulis commodius tractabuntur.

CAPVT V.

An habitus infusus sit tota ratio proxima, & per se efficiendi actum infusum?

HOC dubium tractauimus in dicto lib. 2. de Visione Dei capite 10. ubi recte sententiam Capreoli, & Soti sententiam lumen gloriæ esse totam proximam rationem efficiendi visionem, quam nonnulli moderni scriptores de auxiliis defendunt: aiunt enim, lumen tribuere intellectui totam actiuitatem formalem, & proximam in ordine ad visionem beatificam. Fundamentum huius sententiæ est, quia intellectus, vel voluntas nullam habent potestatem actiuam ad actus supernaturales in substantia: ergo non possunt conferre aliquid actiuitatis circa actum supernaturalem. Antecedens probant, quia alias perfectior potentia naturalis, verbi gratia, intellectus melior cum æquali lumine faceret meliorem actum, seu visionem, quod est falsum, vt supponimus. Vt autem defendant hos actus nihilominus esse vitales, duplicem distinguunt vitalitatem in actu, vnam proximam, aliam remotam, & duplex principium vitalitatis, aliud formale, & proximum, aliud radicale, & remotum. Remotum dicunt nihil aliud esse præter vitam substantialem, quæ præsupponitur ad omnem operationem vitalem, principium autem formale, & proximum esse potentiam, per quam viuens operatur actionem vitalem. Et iuxta hanc distinctionem asserunt, vitalitatem remotam visionis, seu actus supernaturalis, quoad substantiam (eadem enim ratio de omnibus) provenire ab anima, vel potentiis eius, secundum suam naturalem virtutem. Quod probant, quia vitalitas radicalis actus provenit à vita substantiali, quam dat anima virtute sua naturali. At vero de vitalitate proxima actus supernaturalis, dicunt totam procedere ab habitu infuso, tanquam à principio formali. Ratio est, quia illa vitalitas est supernaturalis: ergo procedit formaliter à principio supernaturali: ergo non ab intellectu, vel voluntate, nisi vt eleuatis per virtutes supernaturales. Antecedens probatur primo, quia illa vitalitas est donum Dei per gratiam, iuxta illud Io. 10. Ego vitam æternam do eis. Secundo quia vitalitas est de essentia talis actus, seu actionis, sed actus est supernaturalis quoad substantiam: ergo etiam vitalitas est supernaturalis, quia cum actus sit simplex, non potest essentialiter componi ex naturali, & supernaturali ideoque à sole supernaturali principio potest proxime fieri.

Nihilominus dicendum est habitus infusos non poni, vt sint totalia principia proxima supernaturalium actuum, sed vt iuuent potentias ad eliciendum tales actus, immediate etiam, & per se ipsas in illos influendo. Ita de lumine gloriæ dixi in citato loco, & late docent ibidem Molina, Valentia, & Vazquez, & alii, & expresse idem docuit Richardus in 4. d. 49. articulo 3. quæstione prima, & secunda. Imo Scotus ibidem quæst. 11. licet ipse opinetur visionem infundi à solo Deo, nihilominus secundum opinionem communem, quæ dicit visionem fieri à vidente, dicitur.

cit esse ab intellectu tanquam à potentia actiua. Hoc autem æque, vel magis certum existimo de actibus supernaturalibus vitæ, quia Concilium Tridentinum session. sexta canon. 4. damnat dicentes, liberum arbitrium in his actibus nihil omnino agere. Ex qua definitione aperte colligitur voluntatem, cum amat supernaturaliter, vel sperat, vere, & proprie efficere illos actus, vnde fit, idem cum proportionem esse dicendum de intellectu respectu actus fidei. Dicitur fortasse voluntatem efficere amorem, quia habet in se habitum charitatis, qui est principium formale illius amoris, quamuis ipsa voluntas per se non habeat proprium influxum in illum actum, sicut aqua calida calefacit, & vere agit, licet tota ratio calefaciendi sit calor, hoc enim exemplo vt solent authores contraria sententiæ.

Hoc autem nec verbis, nec menti Concilii satisfacet, nec secundum veram rationem philosophicam potest subsistere. Nam ille modus agendi per formam extrinsecus receptam non transcendit modum agendi inanimatorum, vt ex eodem exemplo adducto manifestum est. Et ratione probatur, quia recipere formam extrinsecus immixtam, non est actus vitæ, quia non consistit in agendo, sed in recipiendo, actus autem vitæ intrinsece includit efficientiam, vt ex Philosophia constat, & ex Aristotel. 2. de Anim. capitul. 1. & 2. ubi vitam accidentalem in operatione constituit, & 1. Politicor. capit. 3. Igitur receptio formæ extrinsecæ non est actus vitæ: ergo quando effectus ab illa forma manat tanquam à totali principio agendi, subiecto per suas facultates proprias nihil actiue influente in talem effectum, ille modus agendi non transcendit gradum inanimatorum, quia illa actio tota est à principio extrinsecus adueniente, & ideo reperiri potest in aqua calefaciente, & luna agente per lumen receptum à Sole, & in aliis inanimatis. At Concilium Trident. dicit liberum arbitrium in his actibus agere non vt inanime, ergo non agit per solam formam extrinsecus acceptam, qualis est habitus charitatis, sed etiam influendo per suas internas, & vitales facultates: nam hoc est proprie agere vitaliter, & non vt inanime. Imo si quis recte consideret, quando vna substantia dicitur agere per formam extrinsecus illi inditam, solum denominatione dicitur agere, imo & per accidens, si sermo sit de substantia absolute, & non vt est sub forma extrinsecus recepta. Vt in exemplo posito aqua dicitur calefacere per accidens, iuxta doctrinam Aristot. 2. Phisicor. cap. 3. text. 25. & 5. Metaph. cap. 2. quia est subiectum, cui accedit forma, quæ est principium calefaciendi, vt notauimus disp. 17. Metaph. sect. 2. in principio. Calidum autem, seu aqua vt calida, est causa per se, non instrumentalis, vt quidam male loquuntur, sed principalis proxima, quia calor est propria, & sufficiens virtus calefaciendi. Ita ergo in præfenti, si habitus infusus esset tota ratio agendi, cum ille accidat voluntati v.g. voluntas erit tantum causa per accidens talis actus, voluntas autem vt informata habitu poterit quidem dici causa per se, modo tamen communi inanimatis, non tamen proprio viuentium, qui est ab intrinseco, & per se per internam facultatem operari. Declaratur tandem exemplo, nam si potentia visiva informata specie intentionali non ipsa per se influeret in visionem, sed per solam speciem, tanquam per rationem integram agendi visionem efficere, non operaretur proprio modo viuentium, id est vitaliter. Et hac ratione præpue impugnant Philosophi dicentes visionem esse à sola specie, quia tunc non esset actus vitæ. Ergo similiter in proposito, si nostræ potentiæ non per se influunt in actus infusos, sed tota ratio producendi illos sunt habitus, tales nec vitali modo, & proprio viuentium sunt, neque actus vitales dici, aut existimari possunt.

Sed videamus qualia sint, quæ ad eludendum hanc rationem dicebantur. Distinguebatur enim du-